

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimo mensis Martii, anno Domini M. DCC. L.

PRÆSIDE,

M. HYACINTHO THEODORO BARON; Doctore Medico, Castrorum REGIS & Exercituum, ultimo sæviente Bello, in Germaniâ & in Italiâ Proto-medico, nec non Medico magni Nosocomii Parisiensis.

An, *etiam in* Chirurgicis, *Naturæ Medicatricis efficaciam agnoscat Medicina Militaris ?*

I.



JAM ante viginti duo sæcula, vel inter ipsa Medicinæ rationalis incunabula, *Naturas* Morborum *Medicatrices* agnovit & celebravit HIPPOCRATES. At evidentiorem si cupias Naturæ *Medicatricis* operationum demonstrationem; quod olim MACHAON & PODALIRIUS aggressi sunt, idem aggredi ne reformides. Ducibus

& Militibus, ad Bella proficiſcentibus, te commilitonem adſciſcas; inter Exercituum tumultus te Medicum conferas; commilitonibus opem non mediocrem allaturus. Ibi Naturam, miracula patrantem, obſervabis. Ibi Morborum omnium iliadem animadvertes. Ibi Vulnera innumera, & omne genus eorum quæ *Chirurgica* dicuntur, frequentiſſimè verſabuntur ob oculos. Ibi Chirurgiæ decerni triumphos ſpectabis; ſed iſti triumphi Naturæ non obſcurant gloriam. Tertia namque Medicinæ pars, quæ manu curat, etſi plura ſatagere videtur, etſi ejus opera magis ſubjiciuntur oculis; nunquàm tamen propoſitum attingit ſcopum, niſi cùm Naturæ veſtigiis inſiſtit docilis, aut ipſam agentem ſinit & admiratur. Atque ſi attentâ mente Medicus omnia conſideraverit, Naturæ efficaciam nullibi magis reſplendeſcere fatebitur.

Martis & Bellonæ ſectatores, vegetas Ætatis adultæ ac Juventutis vires, robuſtis in corporibus oſtentant, duro labore confirmata obtinent Membra; craſſiore & parciore Pane Caſtrenſi victitant; Aquâ, nec ſemper optimæ qualitatis, ſitim ſedant; Carne pauciſſimâ, tenuiſſimo Juſculo, & Oryzæ quandoque unciâ, famem labore excitatam compeſcunt. Iidem veſte tenuiori, ſæpiùs marcidâ cooperti, à tempeſtatum injuriis vix proteguntur: præſertim Autumno & Hyeme, quibus inclementiſſimis, Expeditionum militarium tempora prorogandi quaſi mos invaluit, ab ultimo decennio. Jam verò, ſi dormiendi aut quieſcendi urgeat neceſſitas? Terra lectus eſt, exiguo Stramine, ac ne vix quidem Stramine conſperſo: ibi, unius Tentorii ſpatio ſtrictiori, ſex ſeptemve contubernales ſimul degunt, & ab ardentiſſimo Sole, à Pluviis quandoque continuis, à Ventis vehementioribus & frigidiſſimis, à Nive, Grandine, cæteriſque Cœli inclementiis, non aliter, quàm interpoſitâ Tentorii telâ, defenduntur. Interìm Excubias fideliter agere, ſub Dio; Aquam, Ligna, Panem, cæteraque Vitæ Neceſſaria, ſæpiſſimè longiùs quæritare, quâcumque ſæviente tempeſtate.

Tot & tanta qui ſuſtinent, qualiter ſe habere exiſtimes? Hos videbis non modò vivere, ſed valere; non tantùm valere, ſed lætari, ſed choreas agere, ſed jocoſis confabulationibus tædia fallere; atque, cum truci vultu minacibuſque oculis, in robuſto Corpore intrepidum Animum gerere obſervabis. Hos eoſdem, ad Imperatoris juſſum vel nutum, difficillima quæque Opera aggredi ac perficere; duriſſimos Labores ſuſcipere; Caſtra mutare ac circumvallare; Fluminum alveos tranare, aut eorum curſus detorquere; Pontes conſtruere; Terras effodere ac ſubvertere; Arces munitiſſimas obſidere; Muros ædi-

ficare aut destruere ; superbissimas Turres extollere aut diruere ; in Aciem strenuè prorumpere ; Hostes ferociter aggredi, confodere, fugare ; aut eorumdem impetus intrepidè sustinere animadvertes. Atque demùm, his omnibus exantlatis laboribus, hâc duriori Militiâ, plusquàm viginti annorum spatio defunctos, quàm plurimos agnosces, in eo Regali, Hospitio dicam ne an Palatio ? quod, inter alia innumera, LUDOVICI XIV. nomen Immortalitati consecravit, quodque auxit & perficit hodiedum Paterna REGIS in Duces æquè ac Milites Munificentia ; ibi inquam, quàm plurimos agnosces, vegetam agitare Senectutem, nec turpem, nec cytharâ carentem.

Hæc certè omnia, quid valeant Naturæ vires in sanis Militum corporibus, splendidè arguunt.

I I.

VERÙM utcumque valeant Naturæ vires, ipsas plurimùm labefactant nimiùm diù protracti Labores aut Vigiliæ ; perniciosæ Terrarum exhalationes ; Aquæ corruptæ ; Cadavera insepulta ; Frumenta depravatæ qualitatis, aut Lolio mixta ; Fames ; pravi Cibi ; Disciplinæ militaris inobservantia ; ipsamet Intemperantia, Vitæ militaris comes quandoque frequentior ; nimis varium Vitæ genus, Cœli tempestatibus obnoxium, sive dùm corpora Militum æstuosissimo Calore torrentur in Italiâ, sive dùm præmaturis Frigoribus, Brumis, Pluviis vexantur in Germaniâ. Nec inter Morborum militarium causas omittenda sunt Animi Pathemata ; quandoquidem victores Exercitus, quibus lætitiam & alacritatem addit Victoria, se semper meliùs habeant, & minori ægrorum copiâ affligantur ; dùm è contra, immensum ! quantâ ægrotantium multitudine perimantur Exercitus illi, qui vel numero Militum inferiores facti, vel aliâ quâcunque de causâ consternati, recessum moliuntur.

Hæc omnia totidem sunt causæ, quæ plurimos accersunt Morbos, Febres intermittentes ; Febres verminosas ; Diarrhæas ; Pleuritides, Peripneumonias ; Febres ardentes, putridas, malignas, epidemicè grassantes ; atque demùm Dysenterias, præsertim *colliquativas*, quæ crudelissimum Exercituum flagellum meritò dici possunt.

His si ægrotent Morbis Militiæ addicti, quantas partes in eorum curatione agit Natura ! Non hìc Culcitæ plumeæ, non laneæ ; non hìc Lecti mollibus stragulis aut tapetis compositi : non hìc Cameræ accuratiùs clausæ : non Alimenta succulenta : non Medicamenta operosiùs præparata ; quinimò cuncta ad Locorum angustias, & Circumstan-

tiarum difficultates accommodata ſunt. Atque, quod pejus eſt, omnia, jam ad Œconomiæ leges redacta, heu nimiùm ſæpè! nefariè circumcidit undequaquè, aſtantium omnis generis & aſſidentium Turba.

Milites nihilominùs videbis, graviſſimis decumbentes Morbis, paucis & exiguis auxiliis, prudenter adminiſtratis adjutos, quaſi ſolo Naturæ ductu convaleſcere, vires reſumere, & ad Militiam alacritèr reverti.

Scilicet Naturæ vis non Morbos tantùm & Morborum cauſas profligat; ſed ejus energiæ tantum adhuc ſupereſt, quantum par eſt ad removenda omnis generis impedimenta, quæ, ſivè à Locorum frigore & ſquallore, ſivè à perverſâ Medicaminum adminiſtratione, ſivè ab aſſiſtentium incuriâ ac ſorditie, ſivè ab ipſâmet intemperantiâ, Noſocomiorum militarium aſſeclâ, ſoboleſcunt.

I I I.

AT verò jamjàm inſtat Pugnæ indicta dies. Jam quiſque ſua ad aggrediendum aut ad repellendum apparat Arma. Jam Propugnacula Arceſve munitæ, vi adorienda ſunt, vi pariter defendenda. Sed anceps eſt Victoria. Sæpè à victore & victo, non minori redimitur quàm conceditur pretio. Nunquam incruentata procedit, victoribus ac victis plerumque pariter exitioſa.

Atque ut in iis recenſendis immoremur, quorum ipſi teſtes adfuimus, ſivè dùm, MAILLEBOSIUS, feroces & bellicoſos *CORSICÆ* Montium incolas, Armis domaret victricibus: ſivè dùm, Ducibus HARCURIO, MAURITIO, BROGLIO, COGNIO, jam famoſa, *DANUBII RHENI*que Littora, ſecundo viciſſim aut adverſo Marte, novis illuſtrarentur Præliis: ſivè dùm, imperante CONTIO BORBONIO, Galli *MONTEM ALBANUM*, excelſaque *ALPIUM* tùm Maritimarum tùm Cottianarum cacumina, non Aceto ut ANNIBAL, ſed Pectoribus ac vivâ vi perrumperent; ſivè dùm, ad *CUNEUM* Prælio, *STURÆ* triſtes *NYMPHÆ*, eundem S. PRINCIPEM, victorem agnoſcerent: ſivè dùm, Duce MAILLEBOSIO, Galli cum Hiſpanis, *TANARO* Flumine ſuperato, ad *AUGUSTAM BATIENORUM* cæderent *Pedemontios*: ſivè dùm iidem, ſub *PLACENTIÆ* mœnibus, æquo Marte, cum *Auſtriacis* contenderent; ſivè dùm, combinati Exercitus, ſtrenuo non minùs quàm felici MAILLEBOSII Conſilio, ipſomet ſtupente *ERIDANO*, triplici Ponte traducerentur, Hoſteſque deindè ad *TIDONEM* fortiter repellerent; ſivè dùm, impari Certamine, trans *MONTEM GENEVRUM*, Hoſtium muros impetuoſiùs aggrederentur Galli; ſivè dùm Auſpiciis BELLILÆI felicibus, ad avia *BALZIROSSI* Repagula, *Auſtriaci* ſimul & *Pedemontii*, per ardua Montium juga propulſarentur; his omnibus in caſibus, quàm plurimi,

graviſſimis, Ferro aut Igne inflictis, proſternebantur Vulneribus, Victoriamve, non niſi confoſſis Corporibus & effuſo Sanguine, redimebant.

Porro Vulnerum, quæ Bello accidunt, diverſæ ſunt ſpecies. Alia punctìm, Enſibus; alia cæsìm, majoribus & latis infliguntur Gladiis. Atque hæc & illa, vel Carnes tantummodò, vel Vaſa ſanguifera, Nervos, Tendines, Viſcera, imò & Oſſa, magis minùſve periculosè, afficiunt. Eſt ubi *pyrius* Pulvis, ex Nitro, Sulphure, & Carbone, ſimul tritis & granulatim permixtis, conflatus, promptiſſimâ & admirabili deflagrandi ac fulgurandi facilitate, Igne quâvis de causâ accedente, detonat, vicina quæque potentiùs adurit, variaſque Militum corporibus Combuſtiones imprimit. Eſt ubì eodem Pulvere *pyrio*, intra Fiſtulas metallicas compreſſo primùm, mox, ignis illabente Scintillulâ, vividiùs deflagrante; Globuli plumbei, ferrei, lapidei, è longinquo, magno cum ſtrepitu emiſſi, per intimiora Præcordia adiguntur; Oſſa perfrangunt; Vaſa, Nervos, abripiunt & dilaniant, latiùs ſerpente Contuſionis, enormiſque lacerationis effectu. Eſt ubi Tormentis bellicis, multiplex tenuium Ferramentorum & Globulorum numerus, vel majores Globuli, ſivè ſimplices, ſivè bini catenatim colligati, ſivè etiam Igne candefacti & Ardentes, majore Pulveris *pyrii* copiâ, horrendo cum fragore exploduntur: atque, denſas Peditum Equitumve Acies penetrando, quidquid obvium eſt abripiunt & proſternunt, Mortem & Vulnera longè latèque diſſeminant, Muros dejiciunt, accenſiſque Flammis omnia populantur. Eſt ubi, actis occultè ſub Terram Cuniculis, cæciſque Concamerationibus Pulvere *pyrio* repletis, mox dato igne, integræ Militum Turmæ, ſuperſtantes, nec tale quid opinantes in Altum projiciuntur, aut apertis quaſi Terræ Viſceribus, abſorbentur, magnâ cum omnium ſtrage. Eſt ubi Globus major ferreus, Pulvere *pyrio* prægnans ipſe, *pyrii* Pulveris impetu, ex æneo Mortario vibratur in Aëra ſublimiùs, cum igneſcente Caudâ: undè, capitibus imminens terribilis, præceps ruit, & immani pondere omnia pervadit ac diffringit: atque, mox à caſu, inteſtinâ Detonatione diſſilit in Flammas & Fragmenta, Lethum undique ſpargentia.

Talibus ingeniis in Hominum perniciem allaborant Homines, eaque Corporibus infligunt Vulnera, quæ nullâ Arte reparari poſſent, niſi Natura *Medicatrix* ſuccurreret efficaciter.

I V.

HAS quidem inter ſivè Ducum ſivè Militum, diverſimodè ſauciatorum, anxietates; Imperatoris, Supremi Exercitûs Præfecti, Militaris rei Curatorum, Protomedici, Chirurgorum in id

conſpirant Juſſa, Ordines, Vota, ut iis, qui Vitam pro Patriâ generosè devoverunt, omnis generis auxilia ſubminiſtrentur. Non impenſis, non curis, non vigiliis parcitur. Sed ipſamet Vulneratorum multitudo, locorum Noſocomiis deſtinatorum anguſtiæ, ſauciatos Milites tranſvehendi difficultas, Lectorum, Remediorum, Linteorum, rerumque neceſſariarum in tempore præcipiti penuria, varia à diverſis circumſtantiis impedimenta, efficiunt quandoque, ut, primis præſertim à Prælio diebus, ordinata & requiſita non adeò præſto ſint auxilia.

At non idcircò deſperes. Habes in Naturæ penu, unde Vulnerum maxima pars quaſi ſpontè reſanetur. Vulneratorum nempè Militum vires, tum pugnandi labore, tum ipſiſmet Vulneribus exhauſtæ, aliquo reſtaurante Alimento aut Medicamento ſi refocillentur; Vulnera, tenui Linamento ac leviori Faſciâ ſi devinciantur, mirum quàm facilè quàm celeriter eorum plurima coaleſcant! Id imprimìs obſervavimus, in jam memorato ad *PLACENTIAM* Conflictu, in quo ſtrenui tum Duces tum Milites, pluſquàm duo millia vulnerati, Acinacibus Equitum levis armaturæ adeò graviter mulctabantur, ut pertinaciùs reſiſtentes plurimi, ad duodecim, imó & viginti vulnera, in Capite, Facie, Collo, Pectore, Humeris, Brachiis, Manibus, & Digitis, acceperint. Attamen leviori curâ, & breviſſimo tempore feliciſſimè convaluerunt.

Scilicet, in bene conſtitutis Militum corporibus, Vulnerum ora, ſeu vaſa vaſis accuratè commiſſa, Naturæ *Balſamo* atque Glutine conſolidantur invicem. Aut ſi levior adſit Subſtantiæ jactura; ex Vulneris fundo ac marginibus, vi Vitæ naturali, ſurgit vaſorum recreſcentium congeries, quæ invicem concurrentia uniuntur, ſicque deperditam corporis ſubſtantiam reparant, mirabili Naturæ artificio. Vix enim quidquam Ars hìc agit. Impedimenta tantùm removet; Aërem arcet, tegendo Vulnus; Ora Vulnerum Faſciis aut Suturis continet; Reliquum ac præcipuum Opus abſolvit Natura.

Re quidem verâ, in fractis Oſſibus, Chirurgia fractas partes invicem approximat; coadunatas retinet, artificiosâ Vinculorum, Faſciarum, Spleniorum, &c. applicatione. Sed hæc omnia, ut ut multa ſint, quid profuerint? niſi majora adhuc operetur Natura: nempè Calli generationem, quæ interruptam Oſſium ſtabilitatem reſtituit, quæ fractas & diſſolutas partes ferruminat, efficitque ut incaſſùm non allaboraverit Chirurgia. Mittimus Medicamenta oſteocolla, quæ meræ ſunt nugæ. Nullum eſt Gluten præſtantius, quàm illud, quod ipſamet Natura generat, ſubminiſtrat, applicat.

V.

JAM verò ſi attendas ad ea Vulnera, quæ Sclopetis infliguntur, non minor eſt admirationi locus, nec minùs evidens Naturæ efficacitatis obſervatio. Hæc quippe Vulnera non aliam expoſtulant curam, quàm ut contuſa vaſa Suppuratione decidant, & novæ poſteà ſuccreſcant Carnes. Sed in hoc Opere perficiendo, quodnam agens ipſâ Naturâ efficacius? Plumbi validiùs impacti motu ac celeritate, Vaſcula partis affectæ vehementer comprimuntur & dilacerantur; Nervi vellicantur ac convelluntur. Sed iſtius modi Vulnera nullâ venenatâ qualitate infecta ſunt, nec combuſtionis aliquid retinent; verùm Contuſis omninò debent annumerari. Scilicet Contuſionis vis Combuſtionem ſimulat, atque ex Vaſis laceris, contritis, & cum Sanguine permixtis, efficitur moles ſolidioris conſiſtentiæ, Eſchara dicta. Hæc temporis progreſſu, & vicinarum partium, Febriſve plerumque ſupervenientis, calore putreſcit, corrumpitur, humeſcit, à Vaſis integris ſeparatur, tandemque decidit. Tunc hiantes integrorum Vaſorum extremitates, contentos adhuc eructant ſuccos, ſub Puris formâ & nomine; donec ſublato omni, qui extra *Circulationis* leges ſtagnabat, Sanguine, Granula carnea ex toto Vulneris ambitu ſuccreſcunt, quæ deperditam Fibrarum ſubſtantiam reſarciunt, reparant, Vulnus replent, tandemque ad cutem, in Cicatricis formam, exſiccantur ac coeunt. Sed in hoc toto opere quid aliud animadvertitur, quàm ipſiuſmet Naturæ opus? Si applicita Medicamenta juvant & promovent, præcipui tamen ſucceſſus à Naturâ proficiſcuntur, cujus ſolius eſt Pus formare, & Carnes generare, & Cicatricem inducere. Nihil certè promovebunt remedia, ſi Natura repugnet, & niſi ipſa præcipuum *Operationis* negotium abſolverit.

At verò certi ſunt caſus, in quibus ipſa Natura totum perficit opus. Adacto nempè intra Tarſi Carpive oſſicula Globulo; hæc franguntur, diſrumpuntur; circumpoſitæ ſuppurant partes; ſpongioſa eorum Oſſium ſubſtantia purulentam imbibit materiem, quæ in corruptum Ichorem putrefacta, ipſamet Oſſa Carie exedit. Attamen in robuſtioribus *Naturis*, & bene conſtitutis, & laudabili Humorum *Craſi* gaudentibus, talia perfectè ſanari vulnera nos ipſi vidimus. Naturâ, ſcilicet, corruptum Ichorem, propriâ vi, emendante; Oſſiculorum Squammulas foràs protrudente, Carnes laudabiles generante, Cicatricem inducente.

Sed &, longè mirabiliora, poſſumus allegare Naturæ *Operationum*

exempla. Globulos *sclopetarios*, alios trans Penem & Scrotum: alios, ad Pubem immissos, Vesicam, totamque *Pelvis* cavitatem transgredientes; & ad posteriora exeuntes, nos ipsi vidimus. Vidimus & talia perfectè sanari Vulnera. Quin etiam Glandes plumbeas, trans Pectoris cavitatem, ipsosque Pulmones, ex anteriori parte, in posteriorem lateris oppositi partem adactas; & perfectè posteà binos, hunc in modum Vulneratos, convaluisse observavimus. Quorum quidem Vulnerum curationem, Arti quàm minimùm, Naturæ quàm plurimùm, deberi fatendum est.

Ergo, etiam in Chirurgicis, *Naturæ Medicatricis efficaciam agnoscit Medicina Militaris.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Leander Peaget, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.

M. Ludovicus-Alexander Vieillard.

M. Ludovicus - Guillelmus le Monnier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius Regiique Nosocomii San - Germani in Layâ, Regiarumque Franciæ, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius.

M. Josephus-Exuperius Bertin, Supremi Walachiæ & Moldaviæ Principis Medicus ordinarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius Veteranus.

M. Carolus Dionis.

M. Gedeon de Rabours.

M. David Vasse.

M. Andreas - Josephus Scron.

M. Thomas - Renatus Gasnier.

Proponebat Parisiis, MARTINUS NOUGUEZ, Adurensis, è Comitatu Armeniaco, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750